Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 873
Quelle:
Copyright:

ter omnibus prohibitum predicare excessiue contra clerum de anno presenti die sequenti post festum beati Viti, tamen praedicationibus suis reddiderit *clerum magis odiosum populo quam fuerit unquam prius*. Triplicem hanc inculpationem ab Archiepiscopo mox cum *Husso* communicatam fuisse, patet e subjecto multiplici Ejus *Responso*, ad quod ita ingreditur: *Quia pater Reuerendissime coram paternitatis vestre gratia tanquam scandalosus erroneus ac sancte matri ecclesie predicator contrarius et sic in fide deuius, sed auxiliante mihi domino sum delatus friuole et mendose, ideo ad confutandam inimicorum accusationem friuolam vestre gratie piissime secundum regulam beati Petri apostoli cupio humiliter de fide mea et spe et mihi coram Paternitate vestra obiectis reddere rationem.* &c. Itaque ad *Art.* I. sexies, ad II. ter, ad III. semel respondet. Secluso partium studio, saepe illum in respondendo effugia quaerere, et λογομαχειν observabis. Ita *primo* statim responso, Accusatorem fugillat, quod dixerit, eum *coram omni multitudine utriusque sexus* locutum fuisse: *quia nihil coram omni multitudine dixi, cum non omnis multitudo fuit ipso die, quo predicaui in Praga; non enim coram omni multitudine vtriusque sexus, que tunc fuit rome, aliquid dixi, nec coram multitudine, que tunc fuit iberusalem.* Id, quod profecto dialecticus cavillus est. In fine *Responsorum* subjicit se humiliter Archiepiscopi *piissime informacioni correctioni et protectioni tamquam filium obedientem reuelantem causam suam Domino Sabbaoth* &c. De hoc Syntagmate *Hussi* initia illustrante nihil uspiam me legere memini. Adhaerent varia ab Eo notata de Oeconomia Juris Can. de variis S. Scripturae Sensibus, et multa e Conciliis, Patribusque depromta contra Clericos, qui pro sacris Ministeriis aliquid recipiunt, denique Locus ex *Hildegardis Prophetiis*, quo Ordines *Mendicantium* notari dicuntur, quique multum variat ab Exemplo, quod produxit *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. VIII. p. 261.

V. *fol.* 109. Sermo Anonymi de S. *Maria Magdalena*, cujus initium: *Maria magdalene pertinet ad statum penitentie. Maria Jacobi ad statum continentie. Maria salome ad statum iustitie* &c.

VI. *fol.* 113. *Materia iocalium.* Ita in calce adpellatur *Poema* varia Vitae officia γνωμικως, insperfis etiam Fabellis, exponens et inculcans. Ejus initium:

Sub breuitate stili scribo modo puerili.
Quem tu subtili condas sub pectore fili.
Sermo meus doceat te uultus ferre modestos
Et thalamo cordis mores impingat honestos.